



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CCXIV. An possit Angelus naturæ suæ viribus mysteria gratiæ
cognoscere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

spiritus Dei. Est autem & alia angelorum cognitio, quæ eos beatos facit, quia vident Verbum & res in Verbo. Et hac quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ; nõ quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis reuelare, secundum illud Apostol. 1. Corinth. 2. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: ita tamen quod superiores Angeli perspicacius diuinam sapientiam contemplantes, plura mysteria & altiora in ipsa DEI visione cognoscunt, quæ inferioribus manifestant, eos illuminando. Et horum etiam mysteriorum quædam à principio suæ creationis cognouerunt, quædam vero postmodum secundum quod eorum officii congruit, edocentur.

Ad primum ergo dicendum, quod de mysterio incarnationis Christi dupliciter contingit loqui. Vno modo in generali. Et sic omnibus reuelatum est à principio suæ beatitudinis. Cuius ratio est, quia hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur. Omnes enim sunt administratorij spiritus vt dicitur Hebr. primo. In ministerium missi propter eos qui hereditatē capiunt salutis. Quod quidem fit per incarnationis mysterium. Vnde oportuit de hoc mysterio omnes à principio communiter edoceri. Alio modo possumus loqui de mysterio incarnationis quantum ad speciales condiciones. Et sic non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti: imo quædam etiam superiores angeli postmodum didicerunt, vt patet per auctoritatem Dionysij inductam.

Ad secundum dicendum, quod licet angelij beati diuinam sapientiam contemplantur: non tamen eam comprehendunt. Et ideo non oportet, quod cognoscant quicquid in ea latet.

Ad tertium dicendum, quod quicquid Prophetæ cognouerunt de mysterio gratiæ per reuelationem diuinam, multo excellentius est angelis reuelatum. Et licet Prophetis ea quæ Deus facturus erat circa salutem humani generis, in generali reuelauerit: quædam tamen specialia Apostoli circa hoc cognouerunt, quæ Prophetæ non cognouerant, secundum illud Ephes. 3. Potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitus, sicut reuelatum est sanctis Apostolis. Inter ipsos etiam Prophetas posteriores cognouerunt quod priores non cognouerunt, secundum illud Psalm. 118. Super senes intellexi. Et Gregorius dicit quod

ARTIC. V.

per successiones temporum crenit diuina cognitionis argumentum.

PROR conclusio est, Angeli non possunt naturaliter cognoscere mysteria gratiæ. Posterior conclusio, Visionem quam vocant beatificam, videri possum angelum verbum, & alia mysteria gratiæ in verbo, non quilibet omnia, nec omnes æqualiter, sed prout eis voluerit Deus reuelare. Has conclusiones sequentibus disputationibus explicabimus.

DISPUT. CCXIV.

An possit angelus naturæ suæ virtutibus mysteria gratiæ cognoscere.

Tres diuersæ Scholasticorum sententiæ, cap. 1.

Notationes quædam pro explanatione variorum sententiæ, cap. 2.

Exponitur vera sententiæ in vniuersum, cap. 3.

Corollaria superioris doctrine, cap. 4.

CAPVT I.

Tres diuersæ Scholasticorum sententiæ.

PRæsens controversia non est de cognitionis cuiuscunque obiecti, quod supernaturalis solum virtute cognosci potest: nam de mysterio Trinitatis, quod vi naturali intellectus creari percipi nequit, iam notauimus supra disput. 32. cap. 1. eodem modo quæstio non est de mysterio incarnationis, huius enim notitia supponit notitiam mysterij Trinitatis, & de illo in tertiam partem differemus. Est igitur præsens difficultas solum proposita de ceteris omnibus mysterijs gratiæ extra Deum: an possint ab Angelo naturaliter cognosci: in qua certum est apud omnes, angelos absque peculiari reuelatione non cognoscere singillatim mysteria gratiæ, quæ Deus voluntate sua facturus est, bene tamen cognoscere in reuelatum, Deum posse facere aliquid supra ordinem naturalem, quicquid illud sit. Prius sic ostenditur: consilium voluntatis Dei non solum angelis videntibus, sed etiam clare intuitibus Deum absconditum est: si enim consilium voluntatis vniuersi angelij alterum latet, multo magis consilium voluntatis Dei: ergo quid Deus facturus sit, non potest ab angelis sine particulari reuelatione cognosci. Posterius vero sic probatur, angelus recte nouit, imo & philosophi ratione Physica demonstrare recte possunt, Deum aliquid posse supra communem ordinem rerum, cum earum omnium esse ab ipso factum fuerit, & conseruatur: sciunt igitur naturaliter angeli posse Deum propria virtute facere aliquid supernaturale, vtrum autem hoc sit supernaturaliter ex parte modi, an vero secundum substantiam, existimo illis notum non esse naturaliter: quia inter naturalia secundum suam naturam, & ex parte modi solum efficiuntur, nesciunt distinguere, nisi reuelatione aliqua facta. An vero mysteria gratiæ supernaturalia iam facta angeli cognoscant, Scholasticis controuersum est, varietate de hac re senserunt.

Prima sententiæ sit Scoti in 4. dist. 10. q. 8. & sup. 3. deo, & seqq. qui disputans de modo existerendi corporis Christi in Eucharistia, & de modo existendi accidentium, inquit, ab angelo propria virtute cognosci: quam sententiam amplectuntur Bona in 4. d. 10. q. 8. Maior ead. d. q. 5. & prius docuerat. Egidius Theoremate 16. Gal. in Can. Illius 42. Iuxta 1. de

1. di. 11. qu. 2.
ar. 4. & opus.
1. c. 26. &
pb. 3. lect. 3.

Angeli, sed
contra.

Ocam in 4. quæst. 5. art. 3. Ceterum quia hæc opinio quoad hanc partem vera est, rationes quibus illa confirmatur, inferius afferam: nunc autem vnicam tantum adducam, quæ Scotus, & alii probant, cetera omnia gratiæ mysteria facta, quæcunque illa sint, optime ab angelis cognosci. Ratio autem est huiusmodi: omne ens creatum est obiectum accommodatum intellectui Angelico, & cuiusque intellectui separato, ut cognoscatur ab eo cogitatione (ut aiunt) abstractiua: ergo naturaliter etiam cognosci poterit cognitione intuitiua: nam intuitiua hoc solo differt ab abstractiua, quod intuitiua est rei præsentis, abstractiua vero est rei præteritæ & absenti: qui autem cognoscere potest aliquid absens & præteritum, multo melius & præiens cognoscet. Porro mysteria gratiæ esse obiectum accommodatum intellectui separato, ut abstractiua notitia cognoscantur, ex professo Scotus non affirmat: probari autem potest ex doctrina ipsius dupliciter: primum quia si aliquid obstat, quo minus essent obiecta accommodata, ut naturaliter cognoscerentur, maxime quia sunt supernaturalis ordinis (ideo namque supernaturalia nuncupari videntur, quia sunt alterius superioris entitatis) sed hoc est falsum: naturale enim, & supernaturale non differunt in se ipsis, sed solum ex parte efficientis: quia producantur vel ab efficienti naturali, vel ab efficienti supernaturali: cum tamen alias in seipsis naturam habeant eiusdem ordinis: sic docuit ipse Scotus loco citato, & antea dixerat q. prima prologi §. *Ad questionem igitur respondeo*, & seqq. ubi dixit nullam esse formam suapte naturæ ordinis alicuius supernaturalis, & superioris, sed secundum substantiam suam omnia esse naturalia, rationem vero naturalis, & supernaturalis rebus conuenire ex parte solum efficientis. Quia etiam ratione alio in loco asserit, esse in nobis naturalem appetitum ad beatitudinem, sicut ad formam nobis naturalem, de quo 1. 2. q. 5. artic. 8. differendum est. Deinde confirmari potest alia ratione Scoti, quia contingere potest, ut ens naturale sit multo perfectius, quam supernaturale: nam substantia, quæ est ens naturale, perfectior est multo, quam accidens quodcunque: ergo non minus recte intelligi potest accidens, quod dicitur supernaturale, quam substantia, quæ vocatur naturalis. Huic sententiæ fauet Henricus in summa articulo 33. quæstione 2. ad tertium, ubi asserit ideo non posse produci speciem essentia diuinæ, quia si ea esset in intellectu beati, ab angelo videretur propria virtute: constaret autem speciem essentia diuinæ, siue sit impressa, siue expressa, esse quid supernaturale.

Secunda opinio est quæcumque; mysteria gratiæ supernaturalia non posse ab angelo propria virtute cognosci: ex quo etiam inferunt modum, quo Christus existit in Eucharistia, ab angelo propria virtute non videri. De mysteriis in vniuersum ita docet S. Thom. in hoc art. & Caiet. & recentiores Thomistæ cum eo. De modo autem, quo Christus existit in Eucharistia, idem S. Doctor id tradit 3. parte q. 76. art. 7. & ibidem Caiet. Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 7. Ricardus eadem dist. art. 5. quæst. 1. Paludan q. 4. art. 2. & Henr. quodlibet 1. q. 12. refertur etiam pro hac sententia Bonau. ead. dist. 2. part. art. 2. quæst. 1. & Alexand. 4. part. quæst. 10. in tractatu de sacrificio Missæ membr. 7. art. 3. §. 8. Hi tamen duo Doctores loquuntur de intellectu humano, quamdiu corpori coniunctus

Vázquez in 1. parte Tom. 2.

est: de intellectu autem coniuncto corpori non video posse esse controuersiam: manifestum enim est, corpus Christi in Eucharistia non posse ab intellectu humano pro hoc statu percipi. Ceterum Ocamus absque vlllo fundamento peculiari quadam ratione in hac re philosophatur: ait enim, corpus Christi in Eucharistia emissurum ex se species in oculum, ut videretur, nisi peculiari Dei providentia impediretur à Deo. Hac tamen omnia opinione, de qua loco citato 3. partis dissendum ex professo nobis est, sententia prædicta de mysteriis gratiæ in vniuersum sic probatur à Sancto Thoma, Angelus non potest cognoscere ea, quæ pendunt ex libera hominis aut alterius Angeli voluntate, nempe secreta voluntatis: ergo neque ea, quæ pendunt ex libera Dei voluntate: huiusmodi sunt mysteria gratiæ, ergo illa non possunt ab angelo propria virtute cognosci. Loquitur autem Sanctus Doctor non solum de futuris, sed etiam de præsentibus mysteriis gratiæ: ut sicut secretum cordis, quod præiens est, cognosci nequit, ita etiam nec mysteria gratiæ præsentia. De modo autem, quo Christus existit in Eucharistia, suam sententiam ita confirmant: Modus ille est supernaturalis ordinis pendens ex sola Dei voluntate: ergo non est obiectum accommodatum ut ab angelo propria virtute cognoscatur. Prædicti Doctores, qui loquuntur de modo quo Christus in Eucharistia existit, nihil dicunt de modo, quo accidentia sine subiecto existunt per se in hoc Sacramento, an videlicet ab angelo possent cognosci absentia panis, & subiecti accidentium, ac proinde modus, quo existunt per se. Henricus vero loquitur de desitione illa panis, an cognoscat Angelus esse annihilationem, vel conuersionem, & per quem modum Christus panis succedat.

Tertia opinio est Durandi in 4. dist. 10. q. 4. n. 6. qui partim cum prima, partim cum secunda, sententia docet: ait enim duo. Vnum est, existentiam accidentium sine subiecto forte cognosci ab angelo virtute naturali, eo quod suapte natura Angelus cognoscat omnia entia naturalia, ac proinde cognoscere possit absentiam & corruptionem cuiuslibet substantiæ creatæ: quia non debet esse maioris difficultatis, ut cognoscatur esse rei, quàm non esse illius: cum eiusdem ordinis sint. Alterum est, existentiam corporis Christi sub specie panis non posse ab angelis pro propria virtute cognosci. Confirmat autem, quia existentia hæc non est ordinis naturalis, sed supernaturalis: siquidem cuius rerum naturalium minime subest: ea vero quæ sunt supernaturalis ordinis, nequeunt ab angelis propria virtute cognosci. Quocirca Durandus, conuenit cum sancto Thoma, & aliis doctoribus, secundæ opinionis in eo, quod docent, Angelos propria virtute non posse cognoscere vlla mysteria, quæ sunt ordinis supernaturalis.

CAPVT II.

Notationes quædam pro explicatione verioris sententiæ.

Ceterum, ex his tribus opinionibus diserte eliciamus id, quod probabilius nobis videtur, duo nobis præmittenda sunt. Vnum est, ens supernaturale relate dici ad naturale, aut naturam, super quam dicitur esse, ut manifestum est. Hac de causa supra disp. 44. c. 1. ostendi non posse

Aaa 2

creari

Durand.
Tertia opinio
Quæ ratio.

8.
Primo no-
inducit

creari substantiam aliquam supernaturalem, vñ ibidem ex hoc principio late deduxi.

Secundo notandum. Alterum notandum est, hunc respectum aut relationem supernaturalem dupliciter posse considerari, primum cōparatione facta cum subiecto; deinde cum causa. Priori modo sunt entia supernaturalia secundum substantiam, quales sunt formæ, & perfectiones quæ alicui naturæ adveniunt, vt gratia, vnio hypostatica, beatitudo, & virtutes per se suapte natura infusæ. Dicuntur autem supernaturales relatæ ad subiectum, quia ita ab extrinseco adveniunt, vt nec subiectum suapte natura, neque aliquid aliud tales perfectiones exposcat, sed à solo Deo supernaturalē inclinationem cuiusque subiecti producantur.

Obiectio ex D. August. petii. Obiicit tamen Scotus in illa prima quæ prologi id, quod ait August. *li. de prædest. Sanct. cap. 2.* nempe; posse habere fidem, naturæ hominis esse; illam autem habere, gratiæ Dei esse, vñ de probet ipse Scotus, gratiam esse naturalem perfectionem hominis, siquidem naturæ hominis est, posse illam habere. Respondet tamen Caietan. 1. parte quæstione 1. artic. 1. §. *Vnde ad primum.* Augustinum non dixisse, esse naturale homini, posse habere fidem, sed naturæ hominis esse, posse habere fidem; quæ duo diuersa sunt; nam priori illo modo significaretur, esse in homine naturalem inclinationem ad gratiam; posteriori autem solum denotatur, esse in homine capacitatem ad gratiam, natam ex ipsa substantia & natura hominis. Ego vero adderem, ex testimonio August. nihil probari, etiam si diceret, naturale homini esse, posse habere fidem, hoc enim modo significandi denotaretur, capacitatem illam gratiæ esse homini naturalem relatam quidem ad principium, ex quo oritur, non autem ad formam, quam respicit, ex capacitate vero naturæ non colligimus, formam esse naturalis ordinis, nam ad vnionem etiam hypostaticam est naturæ capacitas, & tamen ipsa vnio non est naturalis.

Quæ sit res quoad modum supernaturalis. Deinde dicitur aliquis effectus supernaturalis secundum modum, hoc est ex parte modi causæ efficientis, quia fit ordine præter naturam à solo Deo, nulla causa naturali id postulante, etiam si res ex se naturalis ordinis sit, & aliqui causam creatam habere possit, talis est oculi amissi restitutio; nam ipse oculus est quidem res naturalis, quæ aliqui generatione ipsa fit à causa creata, naturaliter operante, atque toti homini coniunctus secundum naturam illius est, sicut & reliquæ partes, quia tamen à solo Deo restituitur, nulla causa creata id postulante, dicimus ordine supra naturam fieri. Eadem ratione sanatio ægritudinis est opus supernaturale ex parte modi, quando aut subito, aut paulatim ita fit, vt nulla creata causa illius esse possit. Ceterum quæquam animæ creatio in corpore à solo Deo fiat, nihilominus non dicitur supernaturale, etiam ex parte modi efficiendi, quia poscente causa naturali, quæ disponit materialem ad generationem hominis, anima creatur vt infundatur corpori, quæ si nō crearetur, præter naturalem ordinem rerum esset De corruptione vero accidentium Sacramenti Eucharistiæ per combustionem, vel alio modo aliter dicendum est, nempe eam esse supernaturalem ex parte modi efficiendi, quia nulla exigente causa naturali talis corruptio seu annihilatio fit, nam quamuis ignis calefactio suapte natura disponit

ad corruptionem, id tamen solum fit, quando est subiectum aptum, vt recipiat oppositum aliquod formam, quia vero in sacramento Altaris deest materia, & illa debet produci à solo Deo nulla naturali operatione causæ creatæ id postulante, idcirco supernaturalis dici debet. Ex alia vero parte non dicitur miraculosa, quia rara non est, sed aspectus hominum communis, & secundum communem sensum causarum apparet. Quinimo si illæ species non comburerentur, nec generaretur ignis, aut vermis iuxta varias dispositiones, miraculosa res diceretur.

Ex eodem principio colligitur, si res annihilaretur, annihilationem aut destructionem eius fore esse supernaturalem, non quia esset super virtutem causæ destruentis illam; quia solus Deus substantiam in nihilum redigere potest, super cuius virtutem non est ipsam annihilare & destruere; neque quia esset supra naturam rei, quæ destruitur; quia omnis creatura ab intrinseco non repugnat ut à Deo in nihilum redigatur, sed suapte natura habet, vt destrui possit, sicut diximus supra disp. 1. sed diceretur annihilatio supernaturalis quia ita esset à Deo, vt nulla causa naturalis eam aliquo modo postularer, aut exigeret, sicut exposcit. oppositio in materia embryonis creationem animæ ac proinde dicimus ea omnia quæ à Deo perpetuo conseruantur, & immortalia sunt, quia à creata causa corrumpi non possunt, naturaliter conseruari & perpetuo durare.

Verum obijcies, eadem ratione creationem rerum factam à principio dicendam esse supernaturalem ex parte modi efficiendi, quia ita à Deo creatæ sunt creaturæ, vt nulla causa naturalis eam creationem postularer. Respondeo, creationem rerum non posse dici supernaturalem, quia cum non esset tunc causa aliqua creata, sed res omnes in principio à nullo alio, quam à Deo fieri deberent, non possent dici supra naturam aliquam, vel supra cursum naturalem aliarum causarum, quæ nulla tunc erant; quare nec dici possent supernaturales secundum substantiam, nec secundum modum efficiendi.

Ex his omnibus perspicue constat, falsam esse doctrinam Scoti in eo quod docet, naturale, & supernaturale non distinguui alio modo, quam per ordinem ad agens naturale, & supernaturale, hoc est, non aliter, quam ex modo operandi, quo dicitur agens aut operari naturaliter, aut supernaturaliter, iuxta ea quæ in posteriori notatione dicta sunt: constat autem hanc sententiam Scoti falsam esse, quia satis probatum est, quædam formas suapte natura esse supernaturales ordinis, quia nulli subiecto naturales sunt; alias vero esse supernaturales solum ex parte modi, quo prædicantur. Porro cum dicimus, effectus aliquos esse supernaturales ex parte agentis, non est ita accipiendum, quasi aliud sit agens supernaturale, aliud autem naturale; nam idem Deus & est agens naturale, & supernaturale: naturale quidem dicitur, quando iuxta id, quod aliz causæ naturales & creatæ postulant, operatur: supernaturale vero, quando præter ordinem, quem exigunt omnes aliz causæ aliquid efficit.

CAPVT II.

Exponitur vera sententia in rationem.

V Era igitur opinio in duobus posita est. Vñ num est, in illa, quæ sunt supernaturales

priori illo modo, hoc est, suapte natura, non posse ab Angelo propria virtute cognosci, notitia adhuc, quam vocant abstractionem, ut possibilia antequam sint: nec notitia, quae dicitur intuitiva, quando sunt: nisi diuina aliqua reuelatione. Alterum est, omnia quae sunt supernaturalia posteriori modo, hoc est, quae sua natura sunt ordinis naturalis, & solum supernaturalia ex parte modi efficientis, posse ab angelo propria virtute cognosci & notitia abstractione quando possibilia solum sunt, & intuitiva, quando actus existunt. Quae duo sigillatim confirmanda sunt.

Prior pars facile ex dictis probari potest: nam si quaedam entia suapte natura sunt alterius ordinis, ea debent esse super caput & intelligentiam naturalem creaturæ: alioqui, quia ratione vnum mysterium intelligeretur, eadem quodcumque aliud supernaturale cognosci posset: ac proinde mysteria omnia naturaliter essent angelis nota: quare & vno naturæ humanæ cum persona diuina cognosceretur a demonibus, quod omnes negant. Quod si aliquis dicat, hoc mysterium ideo non cognosci, quia necesse est cognosci personarum Trinitatem in Deo, saltem sequitur, cognosci posse ab angelo vnione naturæ humanæ cum Deo, siue in hac, siue in illa persona: ratio vero superius facta non solum probat, non posse certo cognosci mysteria supernaturalia quādo sunt, sed etiam nec ut possibilia antequam sint: quia vtrumque super caput, naturalemque angeli intelligentiam esse videtur, cum sua natura supernaturalis ordinis sunt.

Sunt tamen nonnulli recentiores, qui dicunt, mysterium Incarnationis, quod fatentur suapte natura supernaturale, quidem ab Angelo cognosci an sit possibile, non autem an sit in rerum natura: negant, tamen, cognosci posse ab angelo sanctificationem animæ, aut angelum cum Deo: probant vero hac ratione, quia angeli cognoscunt extrema huius vnionis, nempe naturam humanam & Deum, cum igitur non implicet contradictionem, illa extrema vniri recte poterit ab angelo talis vnio ut possibiles cognosci: contra vero cum non cognoscat angelus extrema sanctificationis, quæ sit per gratiam, non cognoscat etiam, an talis sanctificatio possibilis sit. Verum argumentum eorum infirmum est, & contra eos retorqueri potest: primum quidem nullus esse momenti sic ostenditur: nam fieri potest, ut intellectus cognoscat aliqua duo extrema, non tamen possit intelligere omne, quod non implicat contradictionem inter ea duo: neque enim necesse est, ut cognoscat Angelus omnia principia, ex quibus deduci possunt omnia, quæ non implicent contradictionem inter illa extrema, saltem ea quæ sola Dei potentia fieri possunt, & suapte natura supernaturalia sunt. Deinde in ipsos retorqueo argumentum: nam si Angelus cognosceret, humanitatem posse vniri diuinæ personæ, cognosceret etiam, ipsa vnione sanctificari & iustam constitui apud Deum: hoc enim non implicat contradictionem, imo necessario consequitur ipsam vnionem; cur ergo non posset cognoscere, animam, aut Angelum posse sanctificari per aliquod aliud donum? Postremo hæc eadem nostra sententia probari potest ex illo primo ad Corinthis. cap. 2. ubi Paulus ait, *quis enim hominum scit, quæ sint hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognoscit, nisi spiritus Dei.* Et infra: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Existimat igitur Paulus, dona gratiæ solo Spiritu Dei cognosci posse.

Verumenim vero, quamuis in hac parte cum S. Thoma conveniamus: ratio tamen illius, quam superiori capite retulimus efficaciter eam non probat; ex eo enim, quod res supernaturales, aut gratia pendeant ex sola voluntate Dei, tanquam ex causa, solum sequitur, non posse cognosci, quamdiu futura sunt. At vero iam præsentibus non posse cognosci, non ostendit, multa enim, ut creatio Angelorum, & vnio eius; ex sola Dei pendent voluntate, semel tamen producta, recte cognoscuntur.

Atque si hæc ratio sancti Thomæ alienius esset momenti, probaret etiam, res supernaturales ex parte solum efficientis, & modi agendi, non posse ab angelis cognosci; eo quod ex sola Dei voluntate pendent esse, aut non esse, qualis est oculi restructio.

Posterior pars huius sententiæ superius proposita, facile etiam probatur, nempe etiam supernaturalia ex parte modi efficientis, qualis est restructio oculi, posse ab angelis naturaliter cognosci: nam cum hæc entia sua natura sint naturalis ordinis, & eiusdem omnino, ac si fierent modo naturali; quacumque ratione fiant, eodem pacto cognosci poterunt; nec solum ab angelo, verum etiam ab homine hæc entia certo cognoscuntur; quis enim non videat & cognoscat, oculum cæco supernaturaliter restructum? neque solum certo cognoscitur ab angelo, quid factum fuerit supernaturaliter; sed etiam, illud fuisse factum à Deo super vires & ordinem naturæ, angelus enim recte novit, nullam esse causam creatam, quæ possit oculum cæco restituere; Deum autem omnipotentia sua illud posse, quare angelus recte cognoscit non modo hæc entia supernaturalia ex parte modi quando sunt, verum etiam scit notitia abstractione antequam sint, posse ea à Deo fieri.

Ex hac vero doctrina rationes Scoti diluere operosum non erit. Ad priorem respondeo ens supernaturale, quod suapte natura supernaturale est iuxta doctrinam superius assignatam, nec solum est supernaturale ex parte efficientis, non esse obiectum accommodatum intellectui nostro, aut Angelico, ut ab eo intelligatur sine reuelatione. Est autem quædam entia sua natura supernaturalia, nec solum ex parte efficientis, iam satis superque probatum est. Ad posteriorem rationem dico, omnem substantiam in genere entis esse perfectiorem quocumque accidenti, si vnum quodque illorum per se consideretur, nihilominus esse accidens aliquod superioris ordinis quod ipsam substantiam perficit, & ad superiorem ordinem eleuat. Contingere autem potest, ut intellectus cognoscat id, quod in genere entis maius est, nempe substantiam, sed non cognoscat id, quod in genere entis minus est, nempe accidens, eo quod perfectiori & superiori quadam ratione afficiat substantiam. Constat etiam, substantiam vnius angeli esse alteri per se manifestam, non item secretum cordis illius, quod multo minus perfectum est. Illa vero communis propositio, *Qui potest circa maius, potest circa minus*, intelligi debet in ijs, quæ sunt eiusdem rationis, ut late ostendimus supra disp. 118. cap. ult.

18. **C**um ex superioribus constet, ea genera entium supernaturalium, quæ sua natura supernaturalia sunt, non posse ab Angelo cognosci: ea vero, quæ sunt secundum suam naturam naturalia, & ex parte solum efficientis supernaturalia recte ab eo cognosci: restat, ut videamus, quæ sint Angelo nota in Sacramento Eucharistiæ, quæ vero ipsum lateant: id quod facile explicabitur, si recte distinxerimus ea, quæ in hoc Sacramento suapte natura supernaturalia sunt, ab iis, quæ sunt supernaturalia solum ex parte efficientis. Primo igitur in hoc sacramento est unio corporis, & sanguinis Christi cum diuinitate. Secundo est virtus corporis, & sanguinis ad sanctificandum suscipientes, quorum primum concedit Scotus ab Angelo cognosci: de secundo autem hoc saltem concedet, cognosci quidem ab Angelo effectum huius Sacramenti, quando operatur, etiam si uera supernaturalis ille sit natura sua: sed non cognosci virtutem effectricem, quia hæc ex sola Dei voluntate pendet. Nobis autem iuxta superius notata dicendum est, neque unionem diuinitatis cum carne, & cum sanguine, nec virtutem huius Sacramenti ad sanctificandum nos, nec effectum illius sine reuelatione Dei posse ab Angelo cognosci: quia hæc tria suapte natura supernaturalis ordinis sunt, hæc autem entia supernaturalia non possunt ab Angelo propria virtute certo cognosci.

19. **T**ertio in hoc Sacramento est absentia seu defectio substantiæ panis. Hanc autem existimo recte ab Angelo cognosci, non solum certa notitia per discursum, & per alienas species: sed etiam proprio & quidditativo conceptu, sicut cognoscit cecitatem & priuationem cuiusque formæ naturalis: & in hoc mihi probatur sententia Scoti, atque ratio eius id manifeste confirmat: nam teste Aristotele, 2. de anima, cap. 10. textu 103. visus est luminis, & tenebrarum: auditus soni, & silentij: id est visus versatur circa visibile, & circa inuisibile: auditus circa audibile, & inaudibile; id quod eodem 3. de anima, capite 2. textu 13. explicauit his verbis: *Nam cum non videmus tenebras, & lumen visu discernimus*, id est, indicamus inter lucem, & tenebras non alio sensu quam visu; non quia visus aliquo actu percipiat tenebras, & lumen, & inter hæc duo discernat; sed quia cum visus sit proprium subiectum percipiendi lumen, idem etiam est proprium subiectum priuationis oppositæ, cuius priuationis capax non est auditus, vel alius externus sensus; ex priuatione tamen proprii obiecti in visu, recte iudicat intellectus absentiam illius; sunt igitur eiusdem omnino ordinis, & ad eandem referuntur potentiam habitus, & priuatio opposita, ac proinde habitus, & priuatio, aut negatio opposita comparata cum intellectu, eiusdem erunt rationis. Diuerso tamen modo lumen, & tenebræ ad visum referuntur; nam visus nihil operatur circa tenebras, intellectus autem actu proprio ita potest cognoscere negationem substantiæ, vel entis, quod habet pro obiecto, sicut & ipsum ens, nisi aliunde propter coniunctionem cum sensu intellectu circa non esse rei decipiatur: hac enim de causa iudicamus ex eo, quod exterius apparet, aliquid esse, quod reuera non est.

Cum igitur intellectus Angeli nullo corpore sensu impediatur, sed res omnes cognoscit sicut in se sunt; cumque esse alicuius rei, & non esse ibi eodem ordine, atque eadem ratione ad intellectum referantur, sit ut statim atque definit res aliqua, etiam si modo supernaturali destinata, & destituta, euidenter & clare ab angelo cognoscatur eo modo, quo negationes cognosci possunt. Quare, & cognoscet angelus, sub speciebus Eucharistiæ non esse substantiam panis: quia reuera non est, etiam si supernaturali virtute Dei fuerit destituta.

Exemplis manifestis rem hanc illustrare possumus: si Deus super ordinem naturalem rem restitueret oculum cæco, vel habenti duos oculos alterum auferret sola sua voluntate, vel introduceret lucem in aere sine corpore luminoso, vel præfente luminoso, quod alias eam producat, sola sua voluntate Deus illam impediret, & eorum aerem tenebrosus efficere, non solum Angelus, verum etiam homo virumque esset. Etiam de priuationem illius discerneret: quod si hæc duo Angelus sua virtute certo scire potest, poterit etiam minus certo cognoscere defectum substantiæ panis in Eucharistiæ: nos enim ideo non possumus eam scire, quia ea quæ intellectu percipimus, sensu etiam cognoscere debemus, & per accidentia, quæ sensui apparent, de ipsa substantia rei iudicamus: cumque videamus accidentia panis eodem modo, existimamus substantiam panis ibi manere: at vero cum Angelus intueatur rerum naturas & substantias, sicut ipse in se sunt, non per accidentia, eodem certe modo cognoscere poterit absentiam panis, vel præsentiam illius, sicut nos absentiam lucis & præsentiam, etiam si modo supernaturali virtutem quod factum fuerit: veluti cognoscere poterit substantiam alterius Angeli, & non esse illius; etiam si ordine supra naturam a Deo in nihilum redigeretur.

At dicat quis, fieri posset, ut substantia panis existens in rerum natura non cognosceretur ab Angelo, quia Deus impediret cognitionem ergo suspicari posset Angelus, ibi esse substantiam panis, se tamen a Deo impediri, ne illam cognosceret: & ita non posset ei euidenter esse, ibi non esse substantiam panis. Verum obiecto frivolo est: Primo, quia si ea alicuius esset momenti, in se fieri etiam posset, Angelo non esse euidenter scire priuationem esse lumen, & hominem visu: quia posset suspicari, se a Deo impediri, ne cognosceret lumen in aere, & visum in homine, sic etiam non haberemus euidentiam per sensus, quia suspicari posset, ea, quæ videmus, per præstigia tantum oculorum à nobis videri, ut fieri posset. Sicut igitur a nobis prædeter hoc suspicatur, & ita nihil obest, quominus quis habeat euidentiam rerum per sensus, sic etiam nihil obest, quominus minus angelus recte iudicet, in sacramento non esse substantiam panis, hoc ipso, quod eam non cognoscit: etiam si ibi posset esse, & ipse a Deo impediri ne illum cognosceret.

Deinde respondeo, intellectum angelum non colligere definitionem totius substantiæ ex eo quod non cognoscat, eam esse, hoc est, ex negatione cognitione esse ipsius; sed definitionem substantiæ intra ordinem naturalem, sicut cognoscit ipsam esse, quare sicut hoc ipso, quod res aliqua est, subest cognitioni angeli, ita etiam non esse rei eodem modo subest, hoc ipso, quod ipsa non est.

19. Absentia panis cognoscitur ab Angelo, qui id iudicat.

Aristoteles.

Quarto, in hoc sacramento sunt accidentia panis sine subiecto, ac proinde per se existunt. Existimo autem, hoc esse quid supernaturale solum ex parte efficientis, quia præter ordinem naturæ creatæ sit, sed non esse supernaturale suapte natura: quocirca ex doctrina superius tradita consequitur, certo posse ab angelo cognosci, non dico, proprio & quidditativo conceptu, sed certo saltem, & euidenti, per aliquem tamen discursum. Nam absentia substantiæ panis & vini certo ab Angelis cognoscitur, ut hætenus probatum est. Hinc autem non potest Angelus non euidenter inferre, accidentia illa esse sine subiecto, ac proinde quantitatem omnino per se esse, cetera vero accidentia in quantitate. Porro certo cognoscitur ab Angelo, accidentia ibi manere, dubitari non potest: nam si vere sensu nostro illa percipimus, & vere de illis iudicamus ibi esse, multo certius Angelus sciet, ibi manere. Hoc sane argumentum euidenter probat, certo ab Angelo cognosci, accidentia ibi manere sine substantia, ac proinde per se existere, eo modo, quo explicatum est: siue hæc certa cognitio sit per propriam speciem & quidditativam illius modi per se, siue sit solum per alienas species & conceptus, ex discursu tamen necessario & euidenti.

Adde nihilominus, modum illum positivum, quem accidentia habent ex defectu substantiæ, proprio & quidditativo conceptu ab angelo cognosci: id quod nonnullis difficile videtur. Ratio vero est manifesta, quia modus ille non est supernaturalis suapte natura, sed solum ex parte efficientis: ergo proprio & quidditativo conceptu cognosci potest eodem profusum modo, quo cognoscitur ab Angelo aliquid aliud, quod sua natura ordinis naturalis est, supernaturali tamē modo producitur, qualis est oculus relictus. Modum autem illum, quo accidentia per se existunt, esse ordinis naturalis natura sua, inde mihi persuadeo, quia ille necessario oritur ex negatione alicuius entis naturalis, tanquam ex aliquo priori: ergo non potest esse ordinis supernaturalis: nam si talis esset, non posset necessariam habere connexionem cum illa negatione, consequitur autem necessario negationem substantiæ panis, aut vini, & illam supponit, ut aliquid prius; quia ablata substantia, necessario consequitur, accidentia quæ manent esse per se. Obseruandum autem est duas esse negationes, quæ connexionem habent cum esse per se accidentium: alteram substantiæ, alteram modi inhesionis: hæc tamen diverso modo comparatur cum modo per se accidentium. Nam negatio substantiæ prior est modo per se accidentium: ut enim ostendimus inferius, non ideo desinit substantia, quia accidentia incipiunt esse per se, sed potius contra: at vero negatio existendi in subiecto oritur in accidentibus ex modo positivo existendi per se: sicut negatio propriæ personalitatis in humanitate Christi oritur ex eo quod sit in persona aliena.

Sed dicunt nonnulli, modum illum accidentium, quo existunt per se esse supernaturalem non solum ex parte efficientis, sicut est oculi relictus: sed etiam sua natura, sicut est gratia, vniū hypostatica, & id genus alia. Rationem vero discriminis ex eo colligunt, quod oculi relictus initio quidem sit supernaturali modo, deinde naturaliter omnino conservatur: hic autem modus exi-

stendi accidentium non solum initio producitur modo supernaturali, sed continuo etiam eodem modo conservatur. Verum hæc differentia nihil momenti habet; nam ex continua conservatione accidentium, solum colligi potest, modum existendi illorum per se, non solum esse supernaturalem ex parte efficientis in principio, sed etiam in continua conservatione: veluti si Deus efficeret lumen in aere sine luminoso, continuo illud conservaret supernaturali modo, sed lumen productum naturalis ordinis esset: similiter si præsentem luminoso Deus lumen impediret in aere produci, tenebræ factæ in aere, continuo fierent modo supernaturali: ipsæ tamen ordinis omnino naturalis essent, & à quocumque intellectu creato cognosci possent. Ille igitur modus diversus productionis supernaturalis in principio tantum, vel etiam in continua conservatione, non arguit differentiam entis naturalis, & supernaturalis secundum naturam suam, & secundum modum.

Obijciat deinde aliquis hanc rationem; modus ille existendi per se accidentium, nulli alteri naturæ convenit naturaliter: ergo natura sua supernaturalis est, iuxta definitionem à nobis secundo capite assignatam. Respondeo, etiam si modus eiusdem rationis uniuoce non conveniat aliis rebus præterquam accidentibus huius Sacramenti existentibus sine subiecto, tamen quia modus per se maioris multo perfectionis, qui convenit substantiæ, est ordinis naturalis; modus etiam ille communicatus accidentibus ex se & sua natura naturalis ordinis erit, & solum ex parte efficientis supernaturalis: ita ex hoc quod Angelus cognoscat, accidentia esse sine subiecto, ac proinde per se instar substantiæ, nihil cognoscat natura sua supernaturali. Quæmadmodum si anime brutorum à Deo conservarentur separatæ à materia, cognosceretur quidem ab angelis euidenter & proprio conceptu modus ille per se, quem habet separatæ à subiecto; cum tamen modus ille per se, non conveniat uniuoce alteri formæ, nam qui convenit animæ rationali, alterius diversæ rationis est. Ea igitur de causâ hi modi ab Angelo cognoscuntur non solum euidenter, sed etiam proprio & intuitivo conceptu, quia cum præcipuum analogatum, nempe modus per se, qui convenit toti substantiæ, & animæ rationali separatæ, sua natura sit ordinis naturalis, multo maiori ratione erit modus ille, qui communicatur accidentibus.

Postremo contra prædictam doctrinam argue-
te quis potest hoc modo, si ex eo quod Angelus
certo cognoscat, substantiam panis non esse sub-
accidentibus, euidenter colligit, accidentia per se;
eadem ratione ex eo, quod cognoscat Christi hu-
manitatem non habere propriam personalita-
tem, euidenter colliget habere alienam, quod si
verum est, naturam creatam non posse à persona
aliqua creatâ supponi, ut probabilior opinio
fert, inferet humanitatem esse in persona diuinâ,
porro autem Angelum certo cognoscere huma-
nitatem in Christo carere propria personalitate
eodem modo probatur, quo superius monstra-
vimus, absentiam substantiæ panis & vini in Eu-
charistia ab Angelo certo cognosci, quia eiusdem
omnino ordinis est, & eodem modo cognosci po-
test ab Angelo forma aliqua naturali, & negatio
seu privatio illius: cum igitur personalitas prop-
ria naturæ humanæ sit naturalis ordinis, & ab

Aaa 4 Angelo

angelo non solum euidenter, sed proprio & intuitio conceptu cognoscatur, eodem pacto negatio illius poterit cognosci.

Respondeo, personalitatem naturæ humanæ, & angelicæ nihil aliud esse, quam modum per se existendi, ita ut in nullo alio aliquo modo sit, atque ex eo naturæ humanæ deesse propriam personalitatem, quia est in aliena, ita ut negatio proprie oriatur ex eo, quod sustentetur ab aliena: sicut privatio vnius formæ in materia nascitur ex eo, quod habeat aliam oppositam: in accidentibus vero Eucharistiæ non item: nam ideo carent proprio modo inhesionis in subiecto, non quia habent modum existendi per se, sed quia destituntur & priuantur subiecto, ideo spoliuntur proprio modo existendi in alio, & communicantur illis necessario modum existendi per se: quo fit, ut Angelus si suæ relinquatur facultati cognoscendi, non decipiatur in cognoscendo, utrum accidentia per se existant, an in alio: fallatur tamen in cognitione modi; & personalitatis propriæ humanitatis, existens, humanitatem Christi per se esse, quæ reuera est in alio.

28. Ratio vero discriminis est, quia cum modus per se existendi accidentium oriatur necessario ex negatione proprii subiecti, & hæc sit omnino ordinis naturalis, ac proinde cognoscatur ab angelo propria virtute: consequenter cognosci potest modus ille existendi per se accidentium: cum vero privatio propriæ personalitatis conveniat naturæ humanæ ex eo, quod sustentatur aliena, & sustentari aliena, nempe diuina, sit, supernaturalis ordinis, efficitur, ut angelus non cognoscat privationem personalitatis creatæ: cum tamen cognoscat personalitatem creatam, & privatio illius eiusdem ordinis sit cum ipsa personalitate: illud enim, quod diximus, nempe privationem alicuius formæ, & formam ipsam eiusdem ordinis esse, ac proinde ab eodem intellectu eodem modo posse cognosci: intelligi debet quoties privatio non pendet essentialiter ex aliquo positivo supernaturalis ordinis: sicut pedit privatio creatæ personalitatis. Hinc fit, ut angelus relictus suæ naturæ, & virtuti plane decipiatur circa personalitatem creatæ & propriam naturæ humanæ, & existimet, ibi esse cum reuera non sit, quia capere nequit, an illa natura ab alia persona sustentetur. Neque obstat, quod angelus habeat proprium & quidditativum conceptum, & speciem propriæ personalitatis: nam in iudicio, quo affirmat, esse vel non esse, decipi nihilominus potest, eo quod pendeat ex aliquo supernaturali, de quo iudicium ferre non potest: fallitur igitur angelus in iudicio rerum naturalium, quarum habet propriam speciem, propter conjunctionem cum aliquo supernaturali; atque in hoc casu eodem modo sentiendum est, siue dicamus, creatam personalitatem esse negationem tantum existendi in alio, siue modum positivum existendi per se, utroque enim modo absentia creatæ personalitatis pendet ex aliquo supernaturali.

Recentiorum
obisatio.

Ceterum recentiores nonnulli contendunt, modum existendi per se accidentium non pendere, neque sequi definitionem totius substantiæ, sed potius contrariā: ita ut quemadmodum ex vniōne personalitatis diuinæ cum humana natura, tanquam ex opposita forma, oritur privatio personalitatis creatæ, & propriæ, ita etiam modus per

se accidentium veluti opposita forma sit creatæ, ut tota substantia definat, quia suprà natura illa substantia postulat talibus accidentibus conferantur; quare cum sine illis sit præter naturam, existens ipsa accidentium per se postulat, ut tota substantia definat; cumque modus ille per se accidentium sit supernaturalis; sequitur iuncta ea quæ diximus, non posse cognosci negationem substantiæ, quamvis secundum se sit ordinis naturalis, quia connexionem habet cum aliquo supernaturali, nempe cum modo per se accidentium, sicut non esse creatæ personalitatis cum vniōne supernaturali diuinæ personalitatis. Hanc modum etiam philosophandi excogitant, ut definitionem totius substantiæ non esse annihilationem, quia provenit ex aliquo positivo, itaque ex opposita forma.

Verum, ut ea, quæ sunt de annihilatione in suum locum referemus, quod ad nostrum attinet institutum, respondeo primo, modum illum per se accidentium non esse ordinis supernaturalis secundum substantiam suam, sed tantum ex parte modi efficiendi, ut supra ostensum est, & ita nihil probare argumentum. Deinde dicendum iam esset ordinis supernaturalis, & esset causæ formalis contraria, ut desineret tota substantia panis; nihilominus non obstat, quo minus cognosci posset negatio totius substantiæ, sicut obstat vniō diuinæ personalitatis, non cognoscatur non esse creatæ personalitatis, ut supra dicebamus, quia privatio creatæ personalitatis in natura creatæ, non solum oritur ex vniōne diuinæ personalitatis cum natura creatæ, sed etiam ab ea, ita essentialiter pendet, ut alio modo fieri nequeat, etiam secundum absolutam potestatem Dei. Quare cum non possit cognosci vniō cum persona diuinā, quæ est necessaria, & essentialis causa privationis creatæ personalitatis, recte inferitur, non posse cognosci privationem illam, at vero licet negatio totius substantiæ oriretur ex modo per se accidentium, tanquam ex opposita forma, non necessario oriretur, ut alio modo fieri non possit, nam negatio totius substantiæ fieri posset sine modo per se accidentium de potentia absoluta, ita ut prius corrumperentur accidentia, deinde tota substantia, vel simul substantia cum accidentibus, ergo negatio ipsa totius substantiæ in facto esse, & hoc quod est, ibi non esse substantiam, non pendet essentialiter ex modo per se accidentium. Parum autem refert, si quis dicat, diverso modo definire substantiam totam ex separatione accidentium, aut destructis prius accidentibus, nam quod attinet ad negationem in facto esse totius substantiæ, eadem omnino est hoc auxilio modo facta, & ita eodem modo cognosci potest.

Postremo dico, modum per se accidentium non esse causam formalem oppositam toti substantiæ, ut ex illa oriatur non esse totius substantiæ, sicut est vniō personalitatis diuinæ causa negationis creatæ personalitatis, quia tam præter naturam conferuntur accidentia per se extra subiectum, imo multo magis, quam substantia tota sine accidentibus, magis enim pendet accidentia à subiecto, quam materia prima ab accidentibus, aut saltem æqua est utrisque; ratio, ergo modus per se, vniō, non potest esse causa destruendi aliud, sed hoc solum quod est, vniō esse sine alio, quomodo etiam quod aliud sit sine per se, siue in alio, siue destructum omnino.

nino, dicitur esse præter naturam. Præterea nulla ratio est, quæ cogat nos, ut asseramus, ad destruendam substantiam panis Deum primum voluisse separare accidentia, & deinde destruere totam substantiam panis: cum multo facilius intelligatur primum destructio substantiæ, deinde manere accidentia per se, si quidem destructio substantiæ ad hoc solum constituenda est, ut vera sint verba consecrationis, & præsens sit corpus Christi, ex cuius præsentia oritur destructio panis, ut disput. 176. cap. 6. dictum est. Cum igitur destructio respondeat effectui positiuo verborum, nempe præsentia corporis Christi, cum qua, si maneret substantia panis, non essent vera verba consecrationis, frustra alius modus excogitatur: quem etiam minime necessarium esse ad defendendum, definitionem panis non esse annihilationem, eo modo, ut oportet defendi, suo loco ostendemus.

Quinto in hoc Sacramento est modus, quo Christus sub speciebus existit, nempe totus in totis, & totus in quavis parte earum: huius autem existimo recte posse ab Angelo propria virtute cognosci. Primum quidem cognoscere potest, sub speciebus sacramentalibus esse substantiam corporis, & sanguinis: tamen ignoret illam esse unitam verbo Dei: nam substantia corporis, & sanguinis est ordinis naturalis: ergo cognoscere potest ubi sit, & quando sit. Deinde cognoscere potest, quantitatem corporis Christi naturam talem esse, quæ extendat substantiam, in qua est, in ordine ad locum: contra vero cum substantia corporis, & sanguinis maneat ibi cum quantitate sua, habens in se partem extra partem, sed sine modo extensionis in ordine ad locum, sequitur, utrunque ab angelo cognosci, tum quidem effectum quantitatis, qui est extendere substantiam intra ipsam, tum etiâ priuationem modi quantitatis, ratione cuius extenderetur cum loco, ut enim supra dicebamus, ea de vis intellectus, quæ cognoscere potest naturam & substantiam alicuius rei cognoscere potest priuationem illius: cum; ex priuatione illius modi quantitatis sequatur, ut substantia sit tota in toto, & tota in quavis parte loci: sit etiam, ut ab angelo cognoscatur modus ille, quo existit corpus Christi in Eucharistia totum in tota quantitate specierum, & totum in quavis parte illarum: idem omnino sequeretur, si diceremus, substantiam corporis ideo manere totam sub tota quantitate specierum, & tota in quavis parte illarum, quia careret sua propria quantitate: hac enim ablata, naturaliter sequitur modus ille substantiæ existendi indivisibili modo sub aliena quantitate: priuatio autem propriæ quantitatis est ordinis naturalis, sicut etiam ipsa quantitas.

Sed dicunt recentiores nonnulli, corpus Christi sub Eucharistia non ideo existere totum in tota quantitate specierum, & totum sub quavis specie illarum, quia caret modo quantitatis propriæ: sed quia habet modum quandam supernaturalis ordinis existendi indivisibiliter, ex quo etiam oriatur priuatio proprii modi quantitatis, & ideo non posse ab Angelo cognosci modum illum, quo Christi corpus sub speciebus est. Verum hæc doctrina firmum fundamentum non habet. Primum quia modus ille existendi indivisibiliter, ex eo solum intelligi potest ad esse substantiæ, quod illi aufertur modus quantitatis propriæ vel ipsa quantitas: quia substantia hoc ipso ex se indivi-

duo modo existit in alio, nam quod ex se non habet extensionem cum loco, ablato eo, à quo eam habet, necessario debet ex se manere cum modo indivisibili: ergo non ex eo, quod datur ille modus individuus existendi in alio, caret extensione propriæ quantitatis cum loco: sed ex eo, quod caret hac extensione, habet ex se modum illum indivisibiliter existendi in alio. Deinde modus hic existendi in aliquo quanto, indivisibili modo, ut totum in toto, & totum in quavis parte existat, non potest esse modus supernaturalis naturæ suæ, sed tantum ex parte efficientis; quoniam hic modus aliis etiam naturæ suæ convenit, ut angelis & spiritibus. Quare si angelus cognoscit, se existere in toto aliquo corpore, & totum in quavis parte illius non minus cognoscet substantiam corpoream & materialem hoc eodem modo existere, si desit illi ratio & fundamentum, ut existat extensa cum loco. Quod si quis dicat, hunc modum, qui convenit substantiæ quantæ, ratione cuius existit tota in toto loco, & tota in quavis parte illius, esse alterius rationis, quam sit modus, qui convenit Angelis & spiritibus: Respondeo, etiam si sit diuersæ rationis, non propterea consequi, esse ordinis supernaturalis: liquidem aliquis modus reperitur naturalis ordinis, quo creatura aliqua existit tota in toto, & tota in quavis parte, quare hic effectus secundum suam naturam non potest esse supernaturalis ordinis.

Postremo observandum est, quamvis hic modus, quem habet corpus Christi in Eucharistia, esset supra naturam ordinis supernaturalis, nihilominus fore, ut cognosci posset corpus Christi secundum substantiam suam sine modo illo, ut optime admonuit Cætanus in præd. cto artic. 7. Nam quemadmodum humanitas Christi nunc cognoscitur à demonibus non cognito modo unionis, ita etiam posset corpus Christi cognosci non cognito illo modo. Nihil enim repugnat, quo minus vnum cognoscatur non cognito alio, quando vnum neque est de essentia alterius, neque eiusdem ordinis cum illo. Et quamquam unio humanitatis cum verbo hoc habet peculiare, propter quod videri non potest, visâ humanitate, viribus tantum naturæ, ut simul cum verbo videri debeat, tamen sufficit, esse ordinis supernaturalis, ut non videatur, visâ ipsâ naturâ, sola virtute intellectus naturali.

Sexto in hoc sacramento est modus transubstantiationis quo dicitur substantia panis, & vini transire in substantiam corporis & sanguinis: idem enim effectus, nimirum esse ibi substantiam corporis, aut sanguinis, & desinere substantiam panis, aut vini, fieri poterat absque transubstantiatione: superest igitur, ut dicamus, an hic modus etiam ab Angelo virtute propria cognoscatur. Respondet Durandus, cognoscere quidem præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, & modum illum individuum, quo ibi existit totum corpus in tota quantitate & totum in quavis parte illius, ut hæcenus probatum est; utrum autem per transubstantiationem, an per simplicem additionem, non cognosci ab angelo propria virtute, sed sola Dei revelatione. Verum pro huius rei explicatione notandum est primum, de ratione transubstantiationis, ut disput. 177. cap. 5. diximus, non esse, ut substantia, in quam dicitur fieri transubstantiatio, producat, aut conferatur per illam;

imo qui hoc modo rationem transubstantiationis in sacramento Eucharistiae defendit, id, quod de fide definitum est in Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. ad quoddam genus philosophiae excogitatum potius, quam verum & necessarium, reducere videntur, ut fufius ibidem dictum est.

Qui differt adductio à transubstantiatione.

Deinde observandum est, quod eodem loco diximus, simplicem adductionem corporis Christi ad species sacramentales, hoc differre à transubstantiatione, quod simplex adductio vno ex his modis fieri debet, vel relinquendo locum priorem, vel etiam eo retento: ita tamen ut praesentia corporis Christi in Eucharistia vel maneat cum panis substantia, vel si desinat substantia panis non desinat ex vi praesentiae corporis Christi, sed sola Dei voluntate, id non postulante praesentia: tunc autem praesentia corporis Christi, & destructio panis se habent comitanter, & absque ulla connexione, ita ut vna aliam non consequatur: ut autem inter praesentiam corporis Christi & destructionem panis sit illa connexio, necessarium est, praesentiam corporis Christi cum substantia ipsa panis oppositionem aliquam habere, ut simul esse nequeant. Haec autem oppositio non est inter ipsas substantias secundum se, ut manifestum est, nec ex aliquo modo illis communicato, quem aliqui abique fundamento comminiscuntur, sed ex sola verborum veritate, quae stante impossibile est ibi non esse substantiam corporis Christi, & manere substantiam panis: quia aliqui pronomen, hoc, vere non demonstraret corpus Christi, ut suo loco explicabitur. Neque vero satis esset, ut diceretur transubstantiatio, si propositione copulativa fieret consecratio, dicendo hoc modo, *Hic fit corpus meum, &c.* Hic non maneat substantia panis: tamen in hoc casu utrunque fieret, & species vere manerent consecratae cum corpore & sanguine Christi. Ratio vero, ob quam tunc non esset transubstantiatio, ea est, quia tunc duae illae mutationes simul aut comitanter essent, nec vna aliam sequeretur, nempe mutatio praesentiae corporis Christi, & destructio substantiae panis: nam ad veritatem propositionis copulativae necessarium non est, ut veritas unius partis ex alia parte oriatur, & ideo Petrus disputante in vna parte, & Ioanne currente in alia, est vera propositio, Petrus disputat, & Ioannes currit, quia simul haec duo fiunt: nunc autem est vera transubstantiatio, quia vna sola enuntiatione demonstrativa, *Hoc est corpus meum*, ita fit corpus Christi praesens, ut hoc ipso necessario debeat destrui substantia panis: quia igitur sacerdos, faciendo praesens corpus Christi destruit panem: recte dicitur substantia panis desinere in corpus Christi, & in illud transire, ut suo loco latius declarabitur. Ergo cum Angelus virtute propria cognoscere possit, his verbis prolatis totum hoc fieri, ut ratione veritatis corpus illud sit in Eucharistia, & consequenter substantia panis destruat: propterea iam verbis, & viso effectu, qui fit in pane, & in praesentia corporis Christi, recte intelligere potest propria virtute, corpus illud ibi esse per transubstantiationem, nec hoc est cognoscere aliquid naturae & substantiae supernaturale, sed supernaturale solum ex parte efficietis. Certe si in corpore Christi esset aliquis modus, ratione cuius consequeretur destructio substantiae panis, ille esset supernaturalis secundum naturam suam, ac proinde cognosci ab Angelo non posset propria

virtute: quia tamen nihil aliud ibi intervenit, quam efficacia verborum virtute veritatis & significationis: nihil obstat, quo minus Angelus recte cognoscat, ibi esse Christum per transubstantiationem: cognoscit autem Angelus, verba illa Christum fuisse instituta ad hunc effectum: hoc enim est aliquid facti) videt etiam, semper verbis illis prolatis ita fieri, nec aliter posse esse veritate signum cognoscit transubstantiationis modum.

DISPUT. CCXV.

An habuerint angeli notitiam mysteriorum supernaturalium per revelationem Dei.

Mysterium Incarnationis Angelis in via fuisse reatum, communis sententia est. cap. 1.

Explicantur Scripturae, & Patrum testimonia, quae contra communem opinionem pugnant videntur. cap. 2.

Quae mysteria Angelis beati in verbo cognoverunt. cap. 3.

CAPVT I.

Mysterium Incarnationis Angelis in via fuisse reatum, communis sententia est.

Indubitatum apud omnes est mysterium Trinitatis reuelatum fuisse angelis in via: mysterium quoque iustificationis, & beatitudinis, ut recte admonet S. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 4. & in hoc articulo 1. q. 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. De mysterio vero Incarnationis difficultas aliqua est, an fuerit reatum omnibus angelis ab initio. Non pauci Doctores affirmant, reatum fuisse. Ita docet Bernardus in illud Ioan. 8. Ille homicida eris ab initio. Ca. 1. ibidem in lib. de eximia praedestinatione Christi, & in libro de gloria angelorum: Vigorius de instit. Theolog. 3. §. 2. vers. 1. §. & cap. 20. §. 1. vers. 4. Iacobus de Palmarum illud v. sal. 8. Surge Deus iudica terram. Nicolaus de Lyra, Ca. 1. & Dionys. Carthusius in illud v. sal. 63. Quis effugit quem vult de Edon? Decanus Lohanensis. a. 2. §. 4. & a. 8. §. 1. facit tamen huic opinioni S. Thomas: nam quamvis in hoc articulo 1. q. 1. dicat, hoc mysterium fuisse angelis beatis reatum, infra tamen q. 64. art. 1. ad 4. docere videtur, de mones etiam cognovisse mysterium Incarnationis, si verba illius attente inspiciantur: clausula tamen in 2. d. 1. q. 1. art. 4. ita docuit ipsam dixisse videtur Bern. ferm. 17. super Cant. tamen si id constanter non asserat. Colligunt quoque hanc sententiam nonnulli ex Aug. 5. lib. de Gen. ad lit. c. 19. quem in eo argumento 4. refert S. Thomas ad hoc probandum: quinimo in 2. art. illo 4. plane affirmat, Aug. in hac sententia fuisse. Ex multis vero rationibus quae congruenter solum ostendunt, angelis notitiam huius mysterii fuisse communicatam, ea meo iudicio potissima est, quod Adamus in statu innocentiae hoc mysterium cognovisset, ut docet S. Th. 3. par. q. 1. art. 3. ad 5. & clarius 2. d. 1. q. 2. a. 7. in corpore, & non obscure indicat illud. Hoc nunc os ex osibus meis, &c. quod interpretatur Paulus his verbis, Sacramentum hoc magnum est, quod autem dico in Christo & Ecclesia.

Sunt tamen nonnulli recentiores Thomae, qui asserunt, angelis non fuisse reatum in via hoc mysterium: quibus primo aspectu sanctae scripturae, & sanctorum Patrum testimonia, quae in bonum sensum interpretanda sunt, per dictam sententiam defendamus. Ex videntur fuisse opinio Alex. 2. p. q. 26. m. 1. & Galus 2. d. 1. q. 2. a. 7. dub. 4. vbi asserunt, aliquibus solis angelis reatum fuisse